

idque propter metum regis eiusdem se forte asserant non audere, ad huiusmodi occasionis materiam amputandam tam a rege praedicto, quod in personis vel rebus ipsos aliquatenus non offendat, quam etiam ab eis, quod praemissa observent, iuratoria et fideiussoria cautione receptis ipsos auctoritate nostra ab excommunicationis sententia, quam propter hoc incurrisse noscuntur, iuxta formam ecclesiae absolvatis. Alioquin eos excommunicatos publice nuntietis ac faciatis ab omnibus artius evitari, supponentes terras eorum ecclesiastico interdicto, ita ut praeter parvulorum baptismata et poenitentias morientium nullum in eis penitus divinum officium celebretur aut exhibeatur ecclesiasticum sacramentum, ad hoc si necesse fuerit invocato auxilio brachii secularis, contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo. Dat. Lugduni III. Nonas Maii pontificatus nostri anno quinto.

Aus dem Lib. regestor. an. V. ep. 814. im Vatican. Archiv. — Boczek cod. dipl. et epist. Moraviae III. p. 87.

No. 145. 1249. 4. März.

*P. Innocentius IV. verleiht denen, welche die Domkirche am Feste Johannis des Evangel. (27. Dec.) bussfertig besuchen, vierzig Tage Ablass.*

Innocentius episcopus servus servorum dei dilectis filiis . . praeposito, decano et capitulo ecclesiae Misnensis, salutem et apostolicam benedictionem. In sanctorum festivitibus, quae a Christi fidelibus votiva celebritate coluntur, dignis laudibus glorificatur omnipotens, sanctis ipsis debitus honor impenditur et animarum profectus devotione congrua procuratur. Unde nos qui fidelium ipsorum curam gerimus generalem, cum prae omnibus, quae nostrae incumbunt sollicitudini, ad eorum salutem intendere teneamur, multo desiderio cupimus, ut illorum memoriam, quos exutos iam corpore stola gloriae induit rex coelestis, venerabiliter recolentes ipsorum festa et celebri agant observantia et sollempnitate annua prosequantur, ac ut tanto accuratius ad eorum cultum se praeparent, quanto plus ipsum animabus senserint profuturum, cum nonnunquam insigniis quibusdam spiritualibus, indulgentiis videlicet et remissionibus magnificare studemus ipsas devote illum exequentibus benignitate apostolica largiendo. Hinc est, quod cum ecclesia vestra in honore Johannis evangelistae constructa esse dicatur, nos ipsam digna coli reverentia cupientes, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ad eandem ecclesiam in illius festo pura intentione accesserint annuatim, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi quadraginta dies de iniuncta sibi poenitentia misericorditer relaxamus. Datum Lugduni IIII. Non. Martii, pontificatus nostri anno sexto.

Aussen: † Brant †

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Bleisiegel an rothen und gelben seidenen Fäden.